

gationem validam elidi, aut jus per eandem alteri quaesitum tolli. Quod ipsum ita effert *Robert. Sandersonus de obligatione juramenti* citato superius loco: *Habere juramentum vim obligatoriam constructivam tantum*, (vid. *Richard. Cumberland de Leg. Natural. cap. IX. §. 16. p. 398. in fin.*) non item destructivam. & posse confirmare obligationem, quae praefuit; sed non posse tollere eam, quam invenit, aut aliam ei repugnantem superinducere. Cujus rei rationem *Idem d. l.* hanc subjungit; Quia per omnem obligationem jus alteri accrescit; quisquis enim obligatur alteri obligatur; & iniquissimum videtur, ut per merum actum, puta pactum vel juramentum, unius ledatur jus alterius, sine ipsius consensu. Scilicet nisi prius pactum semper potius esset, penes unumquemque foret obligationes quascunque per contrarias pactiones ad libitum dissolvere; quo nihil unquam absurdius cogitari potest. Add. *Sharrockius de officiis juris Naturalis*, cap. XIII. N. 2. p. 264. Inde frustra quis juraverit, sese alteri debitum non soluturum, aut rem venditam emptori nolle tradere. Sic cum certum sit, si cui ditiones suae per vim bellicam eripiuntur, ante transactionem & pacificationem remanere jus priori illi domino ad amissa, quandocunque vires superfuerint, hosti iterum extorquenda; (vid. *D. Pufendorf. VIII. 6. 20.*) dicendum etiam est, jus istud legitimo Principi nequam auferri, utut subditi interea sub religione jurisjurandi in clientelam victoris concesserint. Qui sane quando fidem dederunt, antequam adversus expulsum Principem, quicquid ab ipsis postulari poterat, factum est, recitatione juramenti ad agendum nequaquam adstringuntur. Confer. *Idem VII. 7. 4.* junge tamen d. lib. VII. cap. 8. §. 10. ex quibus locis judicari videtur posse de obligatione Juramenti quod legitur in *Cancellaria Hispanica N. 34. p. 163.* add. *ibid. Consider. XX. p. 41.* quam qui viderit, vix mirabitur eur-  
legitur